



**G**Vndobaldus nepos Gundicarij, & filius Sigismundi regis Burgundionū fuit, qui à Francis acie uictus & occisus erat. In eius locū Gundobaldus, qui alios fratres magnanimitate & fortitudine longè superabat, rex electus est. Cum autē eo tempore Heruli & Ostrogothi de Italiae possessione inter se decertarent, ipse hanc occasionem non negligendam ratus. Itaq; cū suis Burgundis Rhēni accolis per Domusculæ saltū in Italiā transgressus, omnē Nouocomensem agrū cum Turniorum terra hostiliter populatus est. innumerū tum mortales capti, capta est & pecorū rerūq; agrestium in

gens præda, atq; impune per alpes abducta. Habebat Gundobaldus ex fratre Chilperico neptem Crothildim iam uiro maturā, atq; elegantis formę & pietatis uirginem. Huius fama impulsus, Clodoueus uictoriosus Francorum rex sibi uxorem deposcit. Id matrimonium Gundobaldus Christianus cum ethnico rege nequaquam probabat, nec etiam tanti regis petitionē abnuere audebat. Itaq; cum puella consilio inuito ea conditione consensit, si Clodoueus rex Christianam religionem cum noua spōsa amplecteretur. Hanc conditionem Clodoueus suscepit, atq; sibi Crothildim uel Rathildin (id est consiliorū amatricem) matrimonio copulauit. Nec tamē Clodoueus ab initio Christi fidem recepit, donec uictoria de Alemannis parta, uoto alio obstrictus id præstiterit. Nihilominus tamen filios è connubio ortos Baptismo admouit. Hacq; ratione Gundobaldus suas opes & authoritatem plurimum ampliāuit.